

**Nicolai Lancicij E Societate Iesv Opvcvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Donum prophetiæ in S. Ignatio perfectissimum. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

dia repetit, fere per octoennium; ex elemosynis  
victans, & officia charitatis, humiliatis ac pœ-  
nitentiæ, non intermitteſ. Parisijs sanctæ vita  
exemplò, precibus & pijs colloquijs, nouem fo-  
cios, & inter eos S. FRANCISCVM XAVERIUM,  
collegit; virtute ac ingenio doctrinaque illu-  
stres: atque ynâ cum ipſis huiusmodi se voto  
obstrinxit, vt absolutis studijs, & rebus omni-  
bus contemptis, Hierosolymam peterent, ibi  
que se animarum procurandæ salutem totos tra-  
derent: quod si per annum nauigandi se non  
offerret occasio, vel Hierosolymis permanere  
prohiberentur, illo voto iam absoluti, Rōmam  
irent, & suam ipsorum operam, Summo Pon-  
tifici ad auxilium spirituale proximorum dé-  
ferrent. Verum cùm ex studiorum laboribus &  
vigiliis, grauem stomachi morbum, Parisijs cō-  
traxisset, Doctoris laurea, post rigidissimum ex-  
amen, sponte quæsumus & imperatum, in illa  
Vniuersitate cum socijs ornatus, iuſu Medico-  
rum, & Sociorū consilio, in patriam redijt. Ibi  
varij miraculis editis, cùm conualueret, Vene-  
tias, quo socij ex composito venire debebant,  
etiam ipse profectus, in ea Urbe ad Sacerdo-  
tium promotus est. Sed elapoſo iam anno inter  
Socios condicto, & nauigatione in Palæstinam,  
(propter pacem inter Turcas ac Venetos per  
id tempus sublatam) interclusa, Romanum cum  
Socijs venit, initio anni 1537. Romæ Summo  
Pontifici suam obtulit operam, ad proximo-  
rum salutem, Pontifex collaudatis pijs Partum  
studijs, duobusque S. IGNATII Socijs prælegé-  
dis S. Scripturæ, & Theologie, Scholasticæ le-  
ctionibus publicis, in Vniuersitate Romana  
(quam vulgo Sapientiam vocant) applicatis,  
per S. IGNATIVM, eiusque spiritualia Exercitia,  
iuit plurimos. Interim S. IGNATIVS Societatem  
Iesu, ad fideli defensionem propagationemque,  
atque ad animarum fructum instituit, & à Se-  
de Apostolica confirmati curauit, Anno 1540.  
& in Societate Iesu, præter tria vota cum alijs  
Religionibus communia, quartum adiunxit,  
quo promittitur Obedientia Summo Pontifici,  
cundi etiam sine viatico ad infideles & Turcas,  
proper salutem animarum. Exinde Constitu-  
tiones eiusdem Societatis condidit, admirabili-  
bus diuinis luminibus (de quibus suo loco dic-  
etur) illustratus. Et cum Sociorum omnium  
vnanimi consensi, Præpositus Generalis ele-  
ctus esset, Societatemque cum summa pruden-  
tia & sanctitatis laude, annis quidecim, mensi-  
bus tribus, ac diebus nouem, gubernasset, & So-  
cios suos per vniuersum Orbem terratum, cir-  
citer mille distribuisset, in centum fere domi-  
cilijs, non tantum in Italia, Hispania, Gallia,  
Germania; sed etiam in Orientali & Occiden-  
tali India, Iaponia, Brasilia, Ethiopia, Persia, in  
numeris hominibus per se, & suos, ad veram  
fidem ac pietatem conuersis, multis rebus ad S.  
Ecclesiæ bonum institutis, frequentia sacrarum

Concionum, Lectionum, Missarum, Confessio-  
num ac Communionum, diaboli fraude iam  
pridem extincta, Romæ primū, deinde in al-  
lijs Orbis vniuersi regionibus introducta, &  
noua quadam vniuersæ Ecclesie luce allata  
plenus meritis, Apostolica benedictione & Sa-  
cramentis ritu Catholico munitus, Iesu inno-  
cans, leuissima febricula extinctus, placidissime  
spiritum Deo reddidit, Anno Domini 1556, vi-  
tima Iulij, ætatis 65, virtutibus ac miraculis, tū  
in vita, tūn post mortem, aliisque admirabili-  
bus, & valde rariis Dei donis, (de quibus iam  
agendum erit,) ornatus.

## CAPVT TERTIVM.

*Donum Prophetie in S. Ignatio perfectissi-  
mum.*

CVM prophétiae donum cum virtutibus  
collatum diuinis, inter insima si sanctitatis  
ornamenta, ideoque sine gratia & amicitia  
Dei esse possit; ab eo ordiri placuit Sanctimonij  
Sancti IGNATII commendationem. Quoniam  
verò Propheticō lumine, temota à Propheta-  
rum sensibus solent cognosci; & multo post  
futura, verissimè prædicti: & secreta humano-  
rum cordium intropisci: & quod his omnibus  
maiis ac mirabilius est, ipsius Dei arcana, om-  
niem humanae intelligentiæ facultatem exce-  
dentia, certissimè intelligi, hac omnia S. IGNATIVS  
in gradu habuit eminentissimo. Primo  
statim anno à conuersione, S. IGNATII mentem  
cælesti lumine Deus illustrare coepit admirabi-  
liter. Cum enim religionis causa, Adem S. Pauli  
Apostoli extra Oppidum Minoressam pateret,  
& in ipso itinere ad Rubricatum amorem, qui  
Minoressam interfluit, constitueret, nec opinari  
repente diuina quædam oborta lux est, tanta  
tamque misticæ, ut momento penè temporis  
nullo magistro, quamplurima clara perspexit;  
non solum de fidei Christianæ mysteriis, verum  
etiam de alijs, vel subtilissimis Phrophophorum  
quæstionibus atque decretis, quasi nitidissimo  
quodam in speculo perspicue cerneret ea, quæ  
post multam accuratamque lectionem, maxi-  
moque labores ac vigilias, vix denuo solent  
homines intelligentiæ comprehendere: atque  
in eo cælesti proſsus intuitu, non sine summa  
animi voluptate diuinius acquierunt. Rursus per  
significationes arcanas: & mystica quædam e-  
xempla, oblati est eius menti modus ipse, quæ  
in huius vniuersi molitione summus ille re-  
rum opifex tenuit: quas illustrationes atque do-  
ctrinas, ut omnino viræ naturales excedunt, sic  
postea negabat S. IGNATIVS polle verbis ad-  
mirari, ne dum exprimi. Atque eius generis per  
id tempus, plenæ diuinitatis alia multa percepit.  
Quibus diuinæ clementiæ subsidijs, in recta fi-

da

de vsque adeo confitimus est; vt etiam si nulla extitissent Christianæ religionis monumēta vel testimonia, nequaquam tamē dubitāset, ex ijs tantummodo, quæ Deo sibi aperiēte cognoverat, mortem pro defensione Catholica veritatis oppetere. Quare meritò S. IGNATIUS illud S. Pauli Apostoli usurpare potest: *Neque enim ego ab homine acceperī illud, neque dīdici sed per reuelationem IESV Christi.* Quem fidei S. IGNATIUS adhuc literarum ignaro, diuinitū infusum modum extraordinarium, & Sacra Rota Auditores, & Cardinales SS. Rituum in Relatione Summo Pontifici facta, obseruārunt. Deinde post studiorum exactū curriculū, & Venetiis, & in Vicetino secessū, & in Romano itinere, tam cebra diuinitū lumina, tam liquidas animi voluptates percepit; vt in antiquum statum illum Minoreffanum, (quem postea, ob singularem & eximiam illius temporis in se Dei benignitatē, religioso ioco, primitiū suam Ecclesiam applicare conseruerat,) non solum ex integrō, sed etiam cum fēnōre sibi restitutis esse videtur. Constitutiones Societatis scribens, tūm de alijs rebus, tūm potissimum de SS. Trinitatis mysterio diuinitū sapē illustrabatur: de Diuina essentia, de distinctione & proprietate personarum, tam continua, excellenti, & abstracta à sensibus intelligentia, vt idem ipse, in authographo libello, qui post mortem eius reperrus est, dicat, fieri non posuisse, vt vel multorum annorum studijs parem consequeretur. In alio item scriptum reliquit, videri sibi in hac vita, maiorem se habere non posse, cā, quam sibi Deus, in quadam visione patecisset. Qua tot tantaque notiones cum incredibili incunditate coniunctae, non ad exigui temporis fructum, sed ad dies sapē complures, harere eius pectori consueverant: vt quocunque ingrediceretur, ex comites sequerentur, cum eoquā sine in cubiculo, siue in coenatione, siue apud suos, siue apud alienos semper habarent, & quodammodo pernoctarent: quarum æstu magnitudine quæ sic absorbebatur, & à seipso peregrinabatur interdum, vt similis esset hominis, qui corpore terras coleret, mente cœlum. Primo quoque post suam conuersiōnē anno, dum Minoreffā commoraretur, res p̄cipuas, Societatis IESV à se postea instituendæ, eas p̄fertim, quibus ea à ceteris Religiosis Ordinib⁹ distinguuntur, Deo reuelante didicit: quemadmodum & P. Iacobo Layni, vni ē primis Socijs, ipsemē palam fassus est, & alijs grauissimis Patribus indicauit. A quibus cum rogaretur, quam ob causam hæc & illa, à more aliorum Ordinūm discrepantia, in Societate constituitur, corūm singillatim rationibus redditis, ad extrellum, rationum omnium summam, solebat referre ad eximiam mentis illuſtrationem Minoreffanum acceptam, & ad Minoreffanum secessum, in quo perspicuas harum rerum notiones à Deo im-

pressas, & quasi consignatas in animo suo acceptas.

Discedens ex Hispania S. IGNATIUS, & Ioāni Paschali, tunc adolescentulo, pia in reliquam vitam dans p̄cepta, petenti quid secum futurum esset: bono, inquit, animo, esto fili, vbi adoleueris, vxorem dices, multisq; incommodis afflictaberis, que te solui delicias, & in auxilio diuino implorando torpere minime patientur. Dic̄tus euentus respondit. Vnum ē Socijs vita solitarie amore captum, de Societate deseren- da cogitantem, sp̄etroque diuinitū immiso perterritum, Deo reuelante cognovit. Petro Ferro Patauino, infitmo, sine spe humana fani- tatis facienti, omni aſſueratione p̄dixit, breui eum à Dei Matre sanandum. Et ita nocte inſe- quente, totis sensibus vigilanti ægrotō, Dei Ma- ter nobili Virginiam stipata choro apparuit, eundemque sua imagine tradita, sanauit. Pōſtri- diē reuersus IGNATIUS hilari p̄t̄ solitum ore, noui non ignarus euenti, Petrum sanum inuisit, subiecitque: Nonnē ego dixi, fore, vt Dei genitrix te sanaret. Mortem Agnetis Paschalie, Barcinone sanctissimè obitam, Romæ Dei mo- nitū p̄fensit, vt littera Antonij Araozij, qui morienti viduæ adfuerat, nihil ei super illa re noui postmodum attulerint. Antuerpiæ multo ante Societatem fundatam, Petro Quadrato Hispano, tunc adolescenti p̄dixit, eum fore Fundatorem Collegij Societ. Iesv. Et ita eue- nit, fundauit enim cum Franciscā Manionia v- xore, Collegium Societatis, Methymna. Simō- nem Kodericum periculoſo morbo correptū, p̄dixit veriſimilē morbo euafurum. Quidā haud ita pridē in Societatem receptus, cū ex imposito sibi munere tantā molestiā affice- retur, vt somnum capete vix posset, ac de repe- tendo sāculo cogitaret. S. IGNATIUS rem diuinitū odoratus, adolescentem nocte intempeſta ē ledulo vocari ad ſe iuſſit, omnesque illi obſtu- pescēti, ſenſim eius animi recessus ac latebras patefecit, ſimū & perturbationes, admirabili dexteritate ſedauit.

Eodem charitatis officio erga alios quoque multos, pari perspicacitate perfunctus est; qui cū ſuos morbos propter incitiam aperire nō pōſſent, vtro ijs ipſemē ante, medicinam, & genus ægititudinis, & cauſas detegebat. Stephanum Baroellum periculoſe ægrotantem, non moriturum ex eo morbo, p̄nunciavit, qui haud ita multo post, non ſine magna omnium admiratione conualuit.

Cū Socij Venetijs magna aduersariorū potentia validē premerentur, ac penē ab incep- tio defilere decreuerint, S. IGNATIUS admoti- nitus de periculo à Socijs, respondit: Christi causam ne defererent, eodem adſuante voti compotes fore, nec vana fuere p̄missa, quip- pe octavo post die, cauſa nostris adiudicata est in Senatu, cunctis ferme suffragijs, atque à p- ritis

ritis rerum æstimatoribus, non leve miraculum est habitum, in eiusmodi Civitate, à duobus ignotis & peregrinis S. Patris Sociis, ijsque Hispanis, clarissimorum ciuium opes & gratiam superatam fuisse.

Franciscum Borgiam Gandia adiitum Ducem, & P. Iacobum Laynez, prædixit, Societas Iesu Præpositos Generales futuros. Michaëli Arrouire tunc adhuc iuueni, occultissimas cordis cogitationes de Matrimonio ineundo detexit, simul & calamitates subsecuturas, certo euentu comprobatas. Omitto alia exempla Prophetici luminis, quia breuitas Compendij, plura referre non permittit.

## CAPVT QVARTVM.

*Frequentes & multiplices S. Ignatij visiones.*

ET cælestia visa, ad quandam Iuminis Propheticæ speciem, spectare videntur, video hoc loco commemoranda sunt, ex quibus quamvis sanctitas Dei seruorum perenda non sit, cum sine ijs soleat esse, & possit: quia tamen ea quoque sunt ornamentum quoddam sanctimonie, commemoranda sunt, nam & his quoque, & quidem in gradu altissimo, qui in hac vita haberi possit. S. IGNATIVS plenus fuit.

Prima S. IGNATII visio fuit S. Petri Apostoli, deplorata a medicis eius valetudinem, diuinus adserentes. Quem enim Diuina Maiestas elegerat, in Ecclesia sua propagatorem, ac defensorem acerrimum, convenienter diuinæ prouidentiæ modo, per Ecclesiæ sua primum post Christum Pastorem ac Principem, sanari voluit. Paterna in domo ægrotanti, nocteque quadam vigilanti, augustissimâ specie, ac beatissimo lumine fulgens Maria Virgo, una cum parvulo Iesu, non modo sese palam ostendit; verum tam incredibili benignitate spectandam, aliquamdiu præbuit. Quo viso mirificè recreatus S. IGNATIVS, tantum repente odium fastidiumque concepit eorum, quæ apud cœcos mortales prima putantur, ac præsertim quæ cum inhonesta voluptate coniuncta sunt, ut omnes rerum illarum, quamvis diuturno ysi ac veritate corroboratas imagines ex hominis memoria, confessim aspectus ille deterserit.

Sæpiissime item eadem Dei Mater S. IGNATIO, præsertim eo tempore, quo Constitutiones Societatis Iesu scribent, sepe videndam præbebat, vel pro illo orans, cumque sua præfentia recreans, vel Societatis Constitutiones confirmans.

Frequentissime item D. Iesu eundem dulcissimâ suâ præsentia solari dignatus est, & Minotesset, & alijs in locis. Cum Venetas contendens, a comitibus itineris, in campis circumpa-

danis deslitutus esset, eò quod præ imbecillitate, hand ita æqua et gradus, Christus Dominus proximâ nocte sese illi, quemadmodum antea scep fecerat, visendum obtulit, recreatumque mirificè, intra ipsa Patauna membra primâ, deinde Venetas, sine vilo errore aut difficultate, perduxit.

In navigatione quoque Hierosolymitanæ se illi non semel ostendit, eumque magnopere confirmavit, ac denique in columem ad portum Palæstinæ perduxit. Hierosolymis, cum ab Armenio quodam asperè admodum increpatetur, deinde immissa manu & brachio ferocius apprehensus, ad diuersorum trahetur; inter eas contumelias Christum sibi præsentem, & usque ad hospitium præeuntem, incredibili quodam genere consolationis, aspexit.

Romam, ad Societatem fundandam, duobus cum Socijs venienti, orandi causa, non longe ab Urbe templum ingresso, qualia passim impensa militari via cernuntur, statimque vt scep solebat, abstracto à sensibus, atque alta quadam animi contemplatione defixo, clarissima in luce, per speciem illi sese Deus Pater ostendit, Iesu filio bâulantib[us] crucem, & crudelissimis affectu suppliciis, præsentem IONATIVM, Sociosque commendans: quos ille, cùn in fidem ac patrocini libentissime recepisset, ad IONATIVM placido ac sereno vultu conuersus, hæc ipsa effari verba dignatus est: *Ego vobis Roma propinquus ero.* Atque id ipsum vel in primis causæ fuit, cur S. IGNATIVS confirmatae postmodum Societati, salutare possumus Iesu nomen indiderit.

Sed & ipsa rum diuinarum personarum, modò omnium simul, modo aliquarum tantum, & ipsius Diuinæ essentiæ, frequentissimis visionibus, mentem illius illustrari fuisse solitam, præsertim in Sacrificio Missæ, & eo tempore, quo Constitutiones Societatis Iesu scribens, diuinæ sapientiae lumen approbationemque quecebat, eius vitæ Scriptores affirmant, & evidenter apparet ex sat magno libello eius visionum, quæ pietatis & memoriarum causa in Ephemeridem retulit: quæ in eo adeò fuerunt illustres, & ipsa Diuinæ essentiæ intima arcana penetrantes, ut non dubitarent hoc saeculo viri quidam doctissimi, Theologiae Scholasticae & Myticae Doctores, toto Orbe notissimi, in editis libris allere, si vera est ea sententia, quam cum S. Thoma, alijsque primarij Ecclesiæ Patribus plenique sequuntur, adhuc in hac vita, clare, & non per speciem, more beatorum, eti ad brevetepus, vilam esse Diuinam essentiam à Moyse & Paulo Apostolo; & ut alij recentiores quidam putârunt, à S. Augustino, S. Benedicto, & B. Agydio S. Francisci comite; etiam non improbabiliter tribui posse S. IGNATIO, claram Dei visionem in hac vita, qui verbis dieris ipse de manu propria, dum leges Societati præscriberet, scriptum reliquit, vilum à se non semel ip-